





51.  
Q. D. B. P.

AUSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI DOMINI,  
DN. FRIDERICI AVGVSTI,  
PRINCIPIS REGII ET ELECTORATVS  
SAXONICI HEREDIS,

&c. &c.

DISSERTATIONEM PNEVMATICAM,  
DE

PRIVATIONE  
GRATIAE DIVINAE,

SVB PRAESIDIO

GEORG. FRID. SCHROEERI,  
Log. & Metaph. Prof. Publici,

publice defendet

M. JACOBVS STAALKOPF,

Sedino - Pomeranus.

*D. XI. Julii. Anno M DCCV.*

*In Auditorio Majori.*

---

WITTEMBERGAE,

PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

A. V. S. P. I. S. S. I. S.  
REGIUM MAGNIFICENTISSIMORUM  
S. R. I. S. S. I. M. D. O. M. I. N. I.  
D. N. F. R. I. D. E. R. I. C. I. A. U. G. U. S. T. I.  
P. R. I. N. C. I. P. I. S. R. E. G. I. S. E. T. E. L. E. C. T. O. R. A. T. U. S.  
E. X. C. E. L. S. I. S. S. I. M. I. S. S. I. M. I. S.  
D. R. E. S. D. E. N. S. I. S.  
D. R. E. S. S. I. O. N. E. M. P. R. I. V. A. T. I. O. N. E.  
G. R. A. T. I. A. E. D. I. V. I. N. A. E.  
S. V. B. P. R. A. E. S. I. D. I. O.  
G. E. O. R. G. F. R. I. D. S. C. H. R. O. E. R. I.  
L. o. g. & M. e. t. a. p. h. P. r. o. f. P. u. b. l. i. c. i.  
M. J. A. C. O. B. Y. S. S. T. A. A. T. K. O. P. F.  
D. R. E. S. D. E. N. S. I. S.  
P. R. I. V. A. T. I. O. N. E.  
P. R. I. V. A. T. I. O. N. E.



§. 1.



Vod peccati Permissio à Privatione Gratiae divinae discerni & separari debeat, §. 32. disput. de Permissione Dei rationibus demonstravi. Ut argumenta rei istius cohaereant & continuentur, de Gratia angelis & hominibus ablata verba facere aggredior.

§. 2. Sunt vero de Privatione Gratiae, quas in controversiam duco, sequentes Auctorum opiniones: I. Potuisse Deum absque omni causa ange-

los puros & homines innocentes atque religiosos, ablata illis Gratia, aeternis calamitatibus exponere, teste ANDR. JUNIO de Providentia sect. 16. c. 1. p. 479. multi Pontificii asseruerunt. II. In Deo, qui omnium voluit salutem, simplicem fuisse voluntatem, elegisse illum multos, reliquos autem nulla peccati ratione habita negative reprobasse sentiunt TRIGOSUS q. 18. Comment. in Theol. Bonaventurae artic. 6. dub. 1. conclus. 2. p. 651, sq. SVAREZ. tom. 1. oper. 1. s. c. 6 n. 5. p. 334. & lib. 2. Opuscul. Theol. c. 5. n. 7. p. 74. qui de negativa tantae Gratiae, quam Gloriam reprobatione loquitur. SMISINGUS p. 1. Theol. Disput. tract. 3. disput. 6. q. 11. n. 732. p. 772. & sequent. qui negatae Gloriam causam Libertatis & Bonitatis divinae ostensionem, ablatae vero Gratiae negatam Gloriam, totiusque negativae Reprobationis causam solum Dei Beneplacitum esse, affirmavit. Reprobum cum electo comparant, quando de Reprobatione verba faciunt, VAZQUEZ. Tom. 1. Comment. in Thom. disp. 95. q. 23. cap. 1 p. 616. MOLINA in prim. Thom. q. 23. artic. 4. & 5. p. 361. GIBBON de BURGO tom. 2. Theol. Scholastic. disput. 6. dub. 3. n. 4. p. 158. TANNERUS speciatim T. 1. Theol. Scholastic. disput. 3. q. 7. dub. 3. Reprobationis negativae à Gratia assert. 1. n. 18. p. 1026. negativae à Gloria assert. 2. n. 24. p. 1027 & actus voluntatis divinae positivi non praeeligendi reprobos ad Gratiam & Gloriam assert. 3. p. 1029. in Reprobis causam inveniri pernegavit III. Negativam quoque angelorum Reprobationem solo Dei Beneplacito niti dixerunt

verunt SVAREZ, *l. cit. c. 5. n. 6. p. 334.* VAZQUEZ *l. alleg. disp. 95. c. 5. n. 24. p. 621.* SMISINGUS *l. cit. disput. 6. q. 11. n. 744. p. 781.* AMICUS *tom. 1. Curs. Theol. disp. 16. sect. 2. n. 47. p. 253.* IV. Nullam hominibus communem profitentur Gratiam, Reprobationem autem probant negativam, & hujus nullam praeter divinum Arbitrium causam agnoscunt: AMESIUS *in Anti-Synodal. Scriptis cap. 11. p. 130.* & quos allegavit CALOVIUS *in gründlichen Beweis p. 578. seqq.* De Reprobo cum electo comparato loquuntur RIVETUS, *tom. 2. Cathol. Orthod. tract. 4. p. 253.* TURRETINUS *tom. 1. Institut. Theol. Elenct. Loc. 4. q. 4. §. 13. p. 422.* HEIDANUS *Loc. 3. Corpor. Doctr. Christ. p. 252.* GISBERTUS VOETIUS *P. 1. Disput. Seliect. p. 356.* WALAEUS *disput. 24. Synops. Disput. Leidens. §. 46. seqq. p. 288. sqq.* MARESIUS *in Apolog. pro Synod. Dordrac. Part. 1. p. 642. & p. 653.* WENDELINUS *Exercit. 5. §. 7. p. 53. sq.* V. Omnium salutem affectasse Deum, multis vero medium ad salutem aeternam obtinendam maxime necessarium denegasse sentiunt Hypothesici. Vid. contra AMYRALDUM SPANHEMII *Exercitat. de Gratia universali & pro iisdem Vindicias, & contra JOHANNEM DALLAEUM Epicrisin Theologicam, ad quaestiones de Gratia & Redemptione universali MARESI.* VI. Pontificios excusavit SMISINGUS *l. cit. p. 764.* quos nullam positivae Reprobationis causam praeter absolutam Dei voluntatem concessisse GREGORIUS DE VALENTIA *tom. 1. Comment. Theol. q. 13. part. poster. punct. 3. p. 525.* & GIBBON de BURGO *l. cit. disp. 6. dub. 2. p. 147.* affirmarunt. Scripta Reformatorum publica, quae illo errore repleta sunt, allegantur in den Casselschen Wechsel *Schriften cap. 1. p. 5. sq.* opinionem illam defendunt POLANUS *lib. 4. Syntagm. c. 10. p. 461.* GOMARUS *in analytica explicat. Epist. ad Rom. p. 429. oper.* CHAMIER *tom. 3. Panstratiae catholice. l. 8. c. 1. p. 218.* ESSENIUS *disput. 22. System. Theol. §. 41. p. 195. §. 44. p. 197.* SOHNIUS *tom. 2. Oper. p. 1006. & 1009.* VOGELSANGIUS *Exercit. 15. theol. §. 30. p. 473.* CLOPPENBURGIUS *tom. 1. Oper. loc. II. Exercit. Theol. disp. 1. §. 10. p. 1011.* LEYDECKERUS *in Synops. Theol. Christianae l. 2. c. 2. n. 17. p. 109. & teste MARESI* *l. cit. p. 653. Fascic. Myrrhae omnes Supralapsarii.*

§. 3. Non disputo de Gratia, quam à charitate vel nihil, vel parum differre LALEMANDETIUS *disp. 6. de Natum Dei p. 149. & RADA part. 2. Controv. Theol. controv. 14. artic. 1. conclus. 1. p. 414.* arbitrati sunt. Hunc & reliquos Gratiae divinae effectus non negant Theologi; sed justificationem, quam ex charitate componunt Pontificii, rectissime inficiantur.

Verum

Verum de Gratia ago, quae benignus Dei Favor est, & à MEDINA in *Prim. secund. Thom. q. 3. artic. 1. p. 612.* increata Gratia nuncupatur. Non in actum ejus inquirō primum, quem Bonitatem quidam vocant Philosophi; sed de actu edisseram secundo, quem Amorem nominare quibusdam Auctoribus placuit. Nihil dicam de Gratia Dei vel Amore erga res posibles, quem ARRIAGA *disput. 24. sect. 5. p. 241. sq.* MARTINON *disp. 16. sect. 1. p. 329. Theol. Scholast.* & alii amorem simplicis complacentiae esse dicunt. Mitto Amorem erga res irrationales, quem THOMAS *part. 1. Theol. q. 29. artic. 2. p. 44.* Amorem concupiscentiae & benevolentiae vocat, quo Deum Diabolum quoque amare MOLINA in *Comment. in prim. Thom. q. 20. artic. 2. p. 239.* putavit; sed Gratia Dei sive divinus erga angelos & homines Amor, quem TRIGOSUS *q. 16. in summ. Bonavent. Theolog. artic. 2. dub. 2. p. 538.* & BECANUS *tom. 1. Operi tract. 1. c. 12. p. 52.* Amorem amicitiae nominant, non autem hujus terminatio, in disquisitionem veniet.

§. 4. Est vero diversus angelorum & hominum status: puros & integros illos fecisse Numen, summa Dei Sanctitas nos edocet; esse vero multos hodie angelos ab omni pietate remotos, nullosque homines omni peccati admittance liberatos ipsa re & experientia demonstratur. De statu puro integroque loquuntur Auctores, qui 'posse Deum angelum vel hominem pium & religiosum damnare arbitrantur. Nullam status corrupti rationem habent Supralapsarii, & negativam Reprobationem cognitione status istius priorem esse putant, qui illam, si non omnis, primae tamen peccatorum permissionis, quam delictorum scientiae anteponunt, causam esse sentiunt. Qui Gratiam tenent universalem, non angelis puris sanctisque hominibus communem, quae in statu integritatis salva integraque permansit; non generalem, hominibus & brutis convenientem, quam WENDELINUS *Exercit. 18. §. 9. p. 237.* in dubium non vocavit; non Pelagianam, quam SPANHEMIUS in *Syntagmate disput. part. 1. p. 230.* recte improbat, nihilque in divina mente est aliud, quam de creando homine, qui libero gaudet arbitrio, & de Lege isti manifesta constans Dei consilium. Vid. VOSS. *lib. 3. part. alt. Histor. Pelagian. thes. 1. p. 285. sqq.* & de *Origine leg.* HENRIC. de NORIS *Histor. Pelagian. l. 1. p. 3.* sed qui defendunt Gratiam, inquam, hominibus lapsis communem, quam HULSEMANNUS in *Vindic. artic. 11. §. 35. p. 46.* medicinalem nominat, & Philosophi Misericordiam vocant, non possunt statuere

cum TRIGOSO, qui Deum, *qu. 18. l. cit. artic. 6. dub. 1. p. 644.* ante praevisum peccatum de omnibus hominibus salvandis decrevisse, & media ad salutem obtinendam necessaria & sufficientia ordinasse iudicavit.

§. 5. Privatio Gratiae inter nos, & quos nominavi auctores res maxime controversa est. Pontificii pariter atque Reformati vocant illam communiter Reprobationem, quam in positivam & negativam dividunt. Positiva ab actu positivo inquit TANNERUS *disp. 3. l. cit. q. 7. assert. 5. p. 998.* denominationem accepit, *quo indigni sive à Gloria, sive à Gratia congrua excluduntur.* Huic actui praedamnationem adscripsit, TURRETTINUS *l. cit. q. 14. loc. 4. n. 4. p. 419.* & quoniam iudicium & poenam affirmat, affirmativum appellavit. Differunt inter se auctores, qui negativam Reprobationem verbis exponunt. Deum in primo rationis signo voluntatem dandi Reprobis Gloriam non habuisse, nec voluisse istos privare Gratia, & Reprobationem negativam nil nisi Electionis carentiam esse, dixerunt SVAREZIUS *tom. 1. Oper. l. 5. de Reprobatione c. 2. p. 332.* & SMISINGUS *l. alleg. disput. 6. tract. 3. n. 694.* Itaque SVAREZ. *p. 333. n. 8.* MOLINA *tom. 1. Comment. in Prim. Thom. q. 23. artic. 3. p. 315.* & TRIGOSUS *l. cit. q. 18. artic. 8. dub. 4. p. 678.* Reprobationis nomen, licet rem ipsam teneant, aspernantur, & ejus in locum non electionis, non approbationis & Providentiae supernaturalis nomina substituunt, & *per Gratiam*, quam negativam vocant, *à Gloria & gratia hominem non excludi; sed ad istas non eligi* asserunt. Hoc non attendunt alii, qui vel cum SCOTO, teste BECANO *t. 2. oper. tom. 1. Opusc. 1. opusc. 2. n. 9. p. 22.* rejectionem, vel cum AMICO & aliis exclusionem, quam GIBBON de BURGO denegationem beneficii indebiti *l. cit. p. 147.* vocavit, vel cum AND. JUNIO *in tractat. de Providentia & Praedestinat. sect. 16. c. 1. p. 478.* si non exclusionem à Gloria, exclusionem tamen ab ordinatione ad Gloriam negativae Reprobationi tribuunt, vel cum aliis, contra quos vid. GIBBON de BURGO *l. cit. p. 148.* cum displicentia simplici componunt. Duo Reprobationi negativae inesse putavit TURRETTINUS *l. cit. p. 420.* Desertionem nempe hominum in massa corrupta & miseria negativam, & praeteritionem, sive uti loquuntur Pontificii omissionem, in electione aliorum tum ad Gloriam tum ad Gratiam. AMICUS *speciatim p. 253.* non nisi omissionem in electione ad Gratiam concessit.

§. 6. In utriusque Reprobationis causam, sive in rationem, quod nomen WENDELINO *Exercit. 17. §. 2. p. 219.* vehementer placuit, per quam



quam diligenter inquirendum est. BANNES in *Comment. in prim. part. Thom. q. 23. artic. 5. p. 209.* causam actus à causa effectus totius Reprobationis, & MOLINA *l. cit. q. 23. artic. 4. & 5. memb. 1. p. 316.* Volitionem à rebus volitis distingvunt. In eandem sententiam loqui videtur RIVETUS, qui in *Catholico orthodoxo p. 253. peccatum à Deo praevisum non decreti, sed rei decretae causam esse concessit.* Sed à vero hic longissime abest, nec BANNES de causa Reprobationis accurate statuit, & MOLINAE verba probat HEEREBORDIUS *volum. 2. Meletem. Philosoph. disput. 16. §. 6. p. 280.* qui externam rationem extrinsecus Deum moventem *l. alleg. in-ficiatus est.* Ipse quidem voluntatis actus, qui à Deo cogitatione tantum distinguitur, nullam suae naturae causam agnoscit: ab aeterno tamen, ubi nullus in mente divina effectus locum invenit, sententiae suae quam de Reprobis tulit, causam sive rationem habuit. Damnationem quidem, quae ex sententia CHAMIERI *l. c. p. 234.* Reprobationis effectus est, non vero ipsam Reprobationem causa movente, eaque externa niti RIVETUS, AMESIUS, ESSENIUS, CLOPPENBURGUS, LEYDECKERUS, multi qui alii judicarunt. Non de nudo ad peccatum respectu, quem SOHNIIUS probavit, non de objecto Reprobationis, quod RIVETUS, MARESIUS, et omnes Reformati, qui à Supralapsariis dissentiunt, hominem lapsum esse, argumentis confirmant; sed de ratione impellente, non de interna, quam omnes Reformati affirmant, verum de externa, non tam executionis, quam divini decreti nobis sermonem esse CHAMIER *l. alleg. p. 221.* TURRETTINUS *l. cit. p. 421.* & non pauci alii publice confitentur.

§. 7. Qui veram de Gratia Dei Reprobationi negativae & positivae absolutae adversa, omnibusque hominibus communi sententiam suam faciunt, differunt ab Hypotheticis, qui universalem Dei erga homines Amorem, cum insigni mediorum, quibus salutem consequimur aeternam, defectu componunt. Dum voluntatem Dei seriam atque efficacem statuunt, quae media ad salutem obtinendam necessaria maximeque idonea ordinavit, alieni sunt à Pontificiis, qui Gratiam probant universalem non nisi voluntate simplici, sive *ut VAZQUEZ, t. 1 oper. q. 23. disp. 95. c. 2. n. 9. p. 618.* loquitur, voluntate simplicis complacentiae, quae teste SVAREZIO *tom. poster. Metaph. disp. 30 sect. 16. p. 127.* sine omni efficacia est, fundatam, quae consequendae salutis quidem media, minime autem congrua ordinavit.

§. 7.

§. 8. Fuisse vero divinum erga angelos bonos integrosque homines Amorem ab aeterno incredibilem & necessario constantem, his firmissimis argumentis demonstro: Est Amor Dei erga creaturas non in libertate divina positus, sed Bonitate, quae in Deo summa atque singularis est, innititur, nec potest Deus, qui omni ex genere perfectus est, Benevolentia erga bonos, quoniam perfectio excellens & summa est, unquam destitui. His igitur movetur Deus, ut necessario faveat Bonis, & beneficio illos complectatur. Ut Deus non bonos, sed malos justis poenis afficiat, ut praemiis remuneret pios, Justitiae suae, quae nunquam à Deo abest, legibus tenetur. Deus igitur bonus & justus, cujus odium in impios unice concitatum est, cum perpetuo bonorum angelorum detrimento, & cum aeterna justorum hominum pernicie, qua nullum malum majus est, Gratiae suae privationem sine data causa decernere non potuit.

§. 9. Supremus quidem rerum omnium Dominus Deus est, qui superioris, quem non agnoscit, legibus nemini obligatur: Nihil tamen in considerate potest committere, quod Bonitati & Justitiae suae adversatur. Non dirimunt controversiam Pontificii, quando poenam à miseria distinguunt, & non justum atque aequum esse putant, ut Sancti & Boni aeterno dolorum cruciatu angantur, absoluta tamen Potentia non indignum esse judicant, ut Deus Bonos & Justos aeternis miseriis atque calamitatibus exponat. Potest quidem calamitas justorum hominum, qui sunt in vivis, cum medicina comparari: nulla tamen calamitas seu miseria datur aeterna, quae non peccatum sequatur commissum, & justae poenae nomen mereatur. Recte sentiunt adversarii, quod varium & multiplex futurae felicitatis genus ab infinita misericordia divinaque Gratia dependeat: nemo autem in aeternam miseriam incidit, nisi propter peccata juxta justitiae leges & praescriptum condemnatus fuerit.

§. 10. Non potuit Deus sine culpa negative reprobare Angelos: neque istis sine causa gratiam suam auferre constituit. Potuit illis majorem, quam ab initio consequuta sunt, negare gloriam, gloriam vero, quae aeternis calamitatibus opponitur, non potuit denegare nisi delinquentibus. Non potuit Deus velle Gratiam abesse ab Angelis, quae ad integritatem eorum conservandam necessaria est: non enim alias libere, sed necessitate coacti peccata commisissent. Si vero angelorum vita pura & in fons sine ista continuari potuit, Reprobationis nomen ad exponendam Graa eistius absentiam ineptissimum est. Si Deus Angelum sine Gratia, ad san-

sanctitatem custodiendam necessaria, condere decrevisset, res maxime imperfecta & inevitabile malum, in quod Deus magnum semper odium habuit, sanctissimo & perfectissimo rerum Auctori suam, quod adversarii improbant, originem debuissent. Si Deus dono angelum, quod isti concedere decreverat, privare constituisset, vel causam eius decreti, quod Reprobationis negativae auctores pernegant, peccatum nempe ab angelis committendum, habuisset gravissimam; vel innocentes & sanctos angelos, quod divina Justitia non permittit, absque omni causa poena afficere decrevisset. Objiciunt nobis adversarii primi, quod commiserunt angeli & homines, peccati Permissionem, cujus nullam tam in angelo, quam in homine causam fuisse sentiunt. Est autem inter Permissionem peccati & Privationem Gratiae magnum discrimen, ipsumque Permissionis decretum, non antecedentis, sed consequentis voluntatis divinae actus est, qui impulsivam Permissionis rationem, exquisitam nempe Voluntatis ad peccandum paratae, seque ad illud determinantis cognitionem consequitur. Angeli quidem majorem, non tamen proprio studio & labore Gloriam acquisiverunt; sed beneficii gratiaeque causa illis à Deo concessa est, quam benignissimus Dei Favor auxit atque amplificavit.

§. 11. Quod Deus hominibus peccato contaminatis omnem ad Gratiam aditum praecludere, illosque omnes & singulos justissimo Judicio reprobare potuerit, Justitiae divinae rigor, qui peccatores, nisi plenissime Deo satisfecerint, aeterna poena et perpetuo cruciatu afficit: gravitas Peccati, quo summa Dei Majestas laesa est, & media denique Salutis plane singularia, quae hominibus revelata divinitus, a sapientissimo Deo inventa sunt, demonstrant atque ostendunt. Ut Deus rem a primis hominibus perditam, quam juste ab istis postulat atque expectat, necessario restituat, nullis aequitatis legibus tenetur. Vid. HULSEMANN. *c. 5. de Auxil. Gratiae p. 42. sqq.* CALOV. *in Considerat. Arminiasm. c. 17. p. 340.* Divina quidem Potentia nullis terminis includitur: & Misericordia, quae omni ex parte perfecta est, nullis limitibus circumscribitur: hae tamen Perfectiones divinae ita quasi permistae atque temperatae Justitia sunt, ut Sociniani, qui satisfactionis necessitatem pernegant, nullo Misericordiae, & nullo Potentiae absolutae praesidio errorem suum tutari valeant.

§. 12. Gratia igitur universalis, quae divinitus revelata est hominibus, quam sancte tenemus, pieque credimus, quae media, Verbum & Sacramenta, universo hominum generi salutaria, sapientissime ordinat, nullis Naturae principiis demonstrari satis, & nullis Sapientiae argumentis refutari ac rejici poterit. Itaque SPANHEMIUS, *in tractat. de Gra-*  
B tia

*tia universali*, MARESIUS *in Epistolis*, TURRETTINUS *in Instit. Theol. Elenct.* & non pauci alii oleum & operam perdiderunt, qui dogma de Gratia universali divinum juxta rationis praescriptum his argumentis oppugnare & labefactare conati sunt. Est Reprobationis decretum, dicunt, Gratiae universali adversum. Non decet Sapientissimum, inquiunt, ut omnium hominum velit salutem, quam tamen illi non consequuntur. Deo, ajunt, non nisi absoluta convenit voluntas, quae ita rerum, quas Deus intendit, causa est, ut cum illa effectus praesentissimus, quoniam isti nihil potest resistere, arctissimo quasi vinculo copuletur. Quoniam vero, Gratia universalis voluntatis divinae antecedentis actus est; Decretum autem Reprobationis ad consequentem voluntatem pertinet, a suspitione admissae contradictionis facile liberamur. Reliqua argumenta a vero aliena sunt. Quid enim Deo sapientissimo est dignius, quam ea velle evenire, quae ne fiant, fraude Diaboli hominumque malitia impediuntur? Alias non vellet Deus, ut Impius mores suos ad modestiam componeret: & mandata Dei sanctissima, quae homines negligunt atque aspernantur, à voluntate divina longissime abessent. Reformati magis magisque laqueis se implicant, qui voluntatem Dei praecipientem à decernente separant atque disjungunt. Est enim mandatum, sive sit voce expressum; sive consignatum literis, vel ab interna Dei voluntate alienum; vel istam quasi imago exprimit. Illud si dicitur, omnis divinis mandatis & institutis fides derogatur. Hoc autem, si vero consentaneum est, Deum non tantum praecepta de rebus, quae non eveniant, dedisse hominibus; sed ab aeterno quoque res illas, ut eveniant, voluisse evidenter comprobatur. Et quoniam homines institutis divinis contumaciter resistunt, omnis Dei Voluntas non ita absoluta est, ut omnem hominum resistantiam penitus a se removeat. Egregium potius Gratiae universalis vestigium Gentiles nobis reliquerunt. His quidem Natura nullum obtulit medium, in quo animus ita potuit acquiescere, ut Deum sibi reconciliatum certo cognoverit: Deum tamen offensum precibus flectere, sibi que placare omnes Gentiles studuerunt.

§. 13. Benevolentiam, Gratia universali concessa, nullam, nisi in se efficacem, quae media ad salutem necessaria nullo neglecto ordinavit, recta Ratio, licet determinata media nesciat, perfecte planeque cognoscit. Si enim Gratia in voluntate simplicis complacentiae consisteret, amoris erga homines universalis nomen non mereretur. Deus enim homini, prout ejus requirit miseria, juxta voluntatem simplicis complacentiae

tiae

trae non succurrit; sed nuda salutis contemplatione delectatur. Non universalem, sed particularem Gratiam probare Hypotheticos, recte & sapienter à SPANHEMIO, MARELIO & aliis dictum est. Salutis enim illorum Deus non est cupidus, quorum felicitatem futuram sub conditione impossibili voluit.

§. 14. Nescit quidem Ratio speciatim Gratiam, quam Deus hominibus praefracte resistentibus negare constituit. Quoniam vero multi Misericordiam divinam non semper experiuntur, Deum gravi causa impulsam Gratiae Privationem decrevisse, argumentis quae §. 8. & 9. in medium attuli, demonstratur. Multi adversarii absoluti Domini amplitudinem; alii Gratiam, quam Deus multis aufert, uberiorem, specialem & non debitam Providentiam esse; non pauci absentiam causae, cur Deus Judam potius, quam Petrum in peccatis relinquat; quidam hominem lapsum, qui Deum nullo beneficio obligatum tenet, & plurimi Deum erga multos homines se tantum negative habuisse, neque elegisse istos, neque reprobasse, nobis opponunt. Ad primum vero argumentum §. 9. ad secundum §. 10. dedi responsum; tertium iusta Desertionis causa, constanti hominis, qui Deo resistit, impietate refellitur. Quartum ideo à vero & recto deflectit, quoniam Reprobationis quidem objecti; nullius vero ejus causae externae, quam Deus vi Justitiae suae necessario attendit, mentionem fecit. Deus quidem praeter poenam aeternam nihil debet peccatoribus: ut tamen suis stet promissis, & nihil contra Bonitatem & Justitiam committat, immutabilis Naturae divinae necessitas requirit atque efflagitat. Et quia nulla sine Reprobatione concedenda est Electio, quae non antecedentis, sed consequentis Voluntatis actus est, quosdam homines Deus elegit, & reliquos nulla mora interposita reprobavit. Ne contra Bonitatem & Justitiam de hominibus quibusdam Deum statuisse videatur, Non electionem sive praerogationem ab omni erga homines odio separare, multi Auctores student, & istam actum Justitiae, uti loquuntur, punitivae esse pernegant. Reprobatio vero negativa teste MARELIO *dissert. Epicris. 1. §. 4. p. 4.* omnem Dei voluntatem servandi istos miseros inficiatur: est prior positionis ad iram pars. *vid. §. 18. p. 7.* atque ut Reprobatione negativa praerogati credant *juxta §. 32. p. 12.* impossibile est. Quos Deus, inquit, LUDOV. CAPPELLUS *P. 2. Syntagm. Thes. Theol. in Academ. Salmur. disput. de Electione & Reprobatione §. 19. p. 105.* praerogati eos procul dubio à Gratia sua submovet, atque repellit, sive repudiat. Omnes, dicit LALEMANDETIUS *l. alleg. p. 374.* qui non sunt à Deo electi, cadunt, id est, damnantur. Igitur

tur Reprobatio negativa non Amoris; sed Odii divini indicium est: non confert beneficia hominibus; sed sine data causa, quod nequidem Justitiae punitivae est, miseros relinquit. Haec cum perseverantia in peccatis ita cohaeret, ut sint causae necessitate nexae, cur praeteriti sint reprobati, atque aeternis poenis perpetuisque miseris premantur. Gratiam Dei universalem et Reprobationem negativam optime inter se convenire Pontificii arbitrantur. Voluntas autem antecedens, qua Deus omnium hominum salutem vehementer cupit, media quoque pro salvandis hominibus necessaria ordinavit; sed Reprobatio negativa his adversa est, & homines multos in summa miseria deserit. Diversum, quod illi excogitarunt Voluntatis instans, rem non explicat, sed magis magisque implicat, & voluntatem Dei antecedentem vel non veram & seriam fuisse, vel Deum animum suum mutasse, evidenter comprobatur.

§. 15. Deus ab aeterno in homines, qui in peccatis usque ad suum interitum perseverant, illa perseverantia motus, & Justitiae suae rigore instigatus, perpetuam poenam meditatus est. His probe consideratis ad argumentum. **TUVISSI**, cui solvendo hic & **VOGELSANGLI** *Exerc. 14. §. 30. p. 473* angelos non pares esse sentiunt, huncque in modum se habet: *Si peccata hominum in consideratione Dei causa sint decreti damnationis, tum vel ex se & sua natura sunt, vel ex institutione divina. Si ex natura sua, in eadem massa communis igitur causa communem haberet effectum, neque ulla esset electio. Si ex constitutione divina, sequeretur, Deum decrevisse, se juxta peccati considerationem decreturum esse hominibus damnationem. Itaque decretum Dei alterum erit obiectum alterius decreti.* Ita respondeo: Nobis de perseverantia in peccato ultimo sermo est, quae natura sua tam decreti, quam executionis causa externa est. Quidam homines in peccatis usque ad suum interitum perseverant; reliqui vero, licet peccatis, quorum causa aeternam poenam merentur, a Deo divulsi distractique fuerint: vera tamen Poenitentia, quae Naturae ignota est, denuo cum Deo uniuntur. Sic electio vera est, sic finalis in peccato perseverantia, sive, ut loquuntur Theologi, finalis incredulitas Decreti Reprobationis causa est, & actualis damnatio, quae decreti effectus est, eadem incredulitate innititur. **HEIDANO**, qui tom. 1. *Corpor. Doctrin. Christian. loc. 3. p. 251.* ita quaerit: *Si ex natura sua hoc peccatum Reprobationis causa est, quomodo fit, ut mala merita potentiora essent ad Reprobationem, quam merita bona ad Praedestinationem?* hoc do responsum: Veram praedestinationis rationem Natura, quae fidem in Christum ignorat, nobis non manifestavit: illa tamen opera viribus imparia esse, divina Revelatio ostendit. At, inquit **TURRETTINUS**, cit. q. 14. *Loc. 4. p. 423. sqq.* *Possunt infantes reprobari, quorum opera nunquam praestanda non possunt esse praevisa: Infidelitas Reprobationis consequens est: Deus non est injustus, quando hominem ad mortem destinat. Non enim tunc ut Judex, sed ut Dominus agit. Quis vero infantes, non nisi peccato conspurcatis & in eo perseverantes condemnari; actualem infidelitatem decreto posteriorem: praevisam autem Decreto priorem esse: Dominium, quod Justitiae adversum est, Deo indignum esse: Et denique Auctorem Reprobationis, quae Judicis de peccatoribus sententia est, quae in suo termino, qui supremi Judicis actus est, damnatione scilicet acquiescit, Deum justissimum angelorum hominumque Judicem esse, plene perfectaeque non percipit atque cognoscit.*

S D C



